

cere insomnium sine somno: quum accidentia  
in caelo adsint materiam insequentia, ut quan-  
titas, &c. Et si caelum esset forma sine materia,  
haberet immaterialem & nobilissimam opera-  
tionem, hoc est, actum intelligendi, adeoque cae-  
lum esset particeps beatæ viæ. Absurdum.

Hæc autem cæli materia non est diversa  
essentiæ à materiâ inferiorum (ut communiter  
existimantur) sed eadem est prima materia  
in toto universo, & omnibus ejus par-  
tibus. Nam 1. Entia non sunt citra necessita-  
tem multiplicanda. 2. Alias due essent materie  
primæ, quum tamen in causarum genere quo-  
libet ad unum aliquod principium devenirent  
deum, ut sicut unus tantum est purus actus, sic  
una tantum sit pura potentia. 3. Quantitas, fi-  
gura & similia accidentia materialia in caelo  
sunt, Cæliq; materia formam recipit, compositum  
constituere, &c. Quæ omnia expedire potest  
materia una hæc sublunaris. 4. Si eadem est  
materia in auro & ferro, philomela & rana,  
homine & musca &c. perfectione & dignitate  
adeo differentibus, quidni etiam in caelo & sub-  
lunaribus? Dignitas enim à formâ pendet, non  
materiâ, & verò forma humana, quæ hac ma-  
teriâ sublunarium contenta est, nobilior est  
quàm